

INCIPIT LIBER III. DE MONSTRUOSIS HOMINIBUS ORIENTIS

Et primo generaliter unde homines monstruosi. ¶ Quoniam de monstruosis hominibus orientis liber sequitur, querendum primo est, si homines illi de Adam primo homine descenderunt. Et respondendum est quod non, nisi forte sicut Adelinus philosophus dicit de onocentauris, qui per adulterinam commixtionem hominis et bestie — si tamen verum est — provenerunt. Cui opinioni illud contrarium est, quod dicitur monstra diu non posse vivere ab homine et bestia generata. Consideremus ergo quid Ieronimus dicat, quod deserta orientis huiusmodi animalia ferre consueverunt. Quod patuit ipso narrante Ieronimo in Vita beati Pauli primi heremite, ubi dicit beato Antonio querenti Paulum monstrum in heremo occurrisset, cuius superior pars homo cum fronte cornibus asperato, inferior vero pars in caprarum pedes desinebat. Et dixit monstrum Antonio: Mortalis ego sum unus de accolis heremi, quos delusa gentilitas faunos, satyros et incubos vocat. Legatione fungor gregis mei, ut pro nobis communem dominum deprecetur, quem olim in salutem hominum venisse cognovimus, et
15 *in omnem terram exiit sonus eius*. Et ne, inquit Ieronimus, hoc fabulosum quis estimet, nostra etate in Alexandria huiusmodi animal captum est. Hinc ergo videndum est, si illud animal quod Antonius vidit animal fuerit rationale mortale. Et constat secundum Ieronimum, quod deum ita evidenter confessum est. Secundum Augustinum utique determinatur animal habere animam, quod
20 est rationale mortale; neque tantum forma, sed actus et habitus hominem manifestant. Animalibus vero monstruosis animam inesse non credimus, et si per aliquos actus ad rationis motum sensu estimationis habilitentur extrinsecus, quoniam non habent cursum organizationis in corpore, ut sensu intellectuali rationis scemate perfruantur. Et non mirum, si monstra huiusmodi alicuius
25 actus habilitatione ceteris animalibus preferantur, quia forte secundum quod plus appropinquant homini exteriori forma in corpore, tanto illi appropinquant sensu estimationis in corde. — Hinc de monstruosis hominibus liber sequitur⁷.

II. De mulieribus pugnatricibus que dicuntur Amazones. Homines sunt, ut dicit Iacobus, in quibusdam partibus orientis ab aliis mundi nationibus valde dissimiles. Sunt enim ibi Amazones, egregie in armis et preliis mulieres, iuxta montes Caspios in insula undique fluvio circumclusa commorantes. Sunt
5 autem plus quam ducenta milia predictarum mulierum, absque virorum consortio seorsum habitantes in predicta insula, omnes autem tenentes gladios et ad bella doctissime. Quando enim hee Amazones victrices cum regina sua a preliis revertuntur, a viris suis, qui extra insulam per se commorantur, adorant

tur. Semel autem in anno ad maritos suos causa generande prolis exeunt. Post-
10 quam autem reverse fuerint, si masculum conceperint, ipsum per sex annos
nutriunt et postea patri suo transmittunt. Si vero feminam pepererint, ipsam
secum reservantes custodiunt. Sicut enim in quibusdam volucris, femine for-
tiores sunt viris suis. Et quoniam ex frequenti usu libidinis multi spiritus con-
sumuntur, quanto rarius coeunt, tanto prefate viragines fortiores sunt et magis
15 ydonee ad pugnandum.

III. De exydracibus hominibus, qui et nudi sapientes dicuntur. Homines
alii sunt, quos exydraces seu gymnosophistas appellant, id est nudos sapientes.
In nuditate autem et paupertate et humilitate ambulant, contempta fallaci et
transitoria huius mundi vanitate. In tuguriis et speluncis habitantes sunt, non
5 habentes casalia vel civitates. Nulli autem nocent nec contra aliquos armis se
defendunt. Filii autem eorum et uxores eorum seorsum habitant cum animalibus,
que ad vitam sobriam sustentandam enutriunt. Hos cum Alexander Macedo
repperisset, valde miratus ait illis: Petite a me quod vultis, et dabo vobis. Et illi:
Da, inquit, nobis immortalitatem, quam super omnia desideramus. Alias
10 autem divitias non curamus. Quibus Alexander: Mortalis, inquit, cum sim,
immortalitatem quomodo vobis dare possum? Cui illi: Si ergo mortalem te
cognoscis, quare tot mala faciendo vagabundus in orbe discurre?

IV. De Bragmannis, qui Christum dei verbum confitentur et colunt, etiam
antequam Christus veniret in carne. Homines preterea alii sunt valde mira-
biles, ultra Gangem fluvium habitantes, quos Bragmannos appellant. Quos mira-
bilis religio, innocentia, mores et vita mirifice decorant. Hii etiam antequam
5 Christus veniret in carne, de eius coeternitate cum patre aperte scripserunt. Nam
quidam Dindimus didascalus ipsorum Bragmannorum rogatus ab Alexandro
Macedono mirabilem epistolam scripsit ad eundem Alexandrum de vita et
sanctis moribus Bragmannorum et de cultu unius dei et de coeternitate filii cum
patre. Dicit enim inter cetera: Deus verbum est, et verbum illud mundum creavit,
10 et per hoc vivunt omnia. Nos autem hoc verbum colimus, hoc adoramus. Deus
spiritus et mens est, et ideo non amat aliud nisi mundam mentem.

V. De aliis hominibus et moribus eorum. (1) Homines alii in partibus supra-
dictis sunt, qui amore alterius vite in ignem se mittere non formidant. (2) Sunt
et homines alii, qui parentes proprios nimio confectos senio mactare et carnes
eorum ad epulas preparare immensam putant pietatem et magnam religionem.
5 Renuentes vero tanquam impios detestantur. (3) Homines etiam sunt ibi
magni velut gigantes, ut elephantes facile transilient. (4) Homines alii sunt
ibi in tantum parvi, ut cubitum longitudinis vix excedant. (5) Sunt matres
que semel parientes canos partus proferunt, qui tamen diu viventes in senectute
nigrescunt. (6) Sunt alie que quinquennes pariunt, sed partus nisi octo annis
10 vivere possunt. (7) Homines alii sunt, qui pisces crudeos manducantes ipsum

salsum mare bibunt. (8) Homines alii sunt manus aversas et in pedibus octo digitos habentes. (9) Homines alii sunt, qui habent plantas pedum transpositas. (10) Homines alii sunt, quos beatus Ieronimus cynocephalos appellat, qui canina capita habentes, ungues aduncos, pellibus pecudum induti, pro
15 voce latratus canum proferunt. (11) Homines alii sunt, qui ita parvum os habent, quod gracili calamo non nisi sorbilia comedunt. (12) Homines alii ibidem sunt, qui carnibus humanis vescuntur. Hii hominum vestigia tam diu olfactu percipiunt, quousque aquam aliquam illi, quos insequuntur, transierunt. (13) Hominum alii sunt ibi monoculi, qui Arismaspi et Cyclopes nomi-
20 nantur, in media fronte unum oculum habentes. (14) Homines alii sunt, qui unum tantum pedem habent, quo velocissime currunt. Habent autem tantam pedis latitudinem, quod eius planta contra solis fervorem umbram spatiosam sibi faciunt et quasi in domo sub planta pedis requiescunt. (15) Homines alii sunt absque capitibus, oculos in humeris habentes, qui pro naso et ore duo
25 foramina habent in pectore; setis autem horridi sunt ad modum bestiarum. (16) Homines alii sunt, qui solo odore cuiusdam pomi vivunt. Quos si longius ire contigerit, ipsum pomum secum deferunt: aliter enim morerentur, si pravam sentirent fetorem. (17) Homines alii sunt silvestres, sex manus per singulos habentes. (18) Mulieres preterea sunt ibi speciose valde, in quodam flumine
30 calido habitantes, horridas vestes habentes, armis argenteis, eo quod non habent ferrum, utentes. (19) Mulieres etiam sunt in quibusdam silvis Indie, que habent barbas usque ad mamillas, pellibus animalium indute, nec vivunt nisi de venatione: habent enim pro canibus tygrides et leopardos et rabida ferarum genera. (20) Homines etiam sunt et mulieres nudi incedentes, corpus pilosum
35 sicut bestie habentes, eque in flumine et in terra habitantes. Quando autem extraneos homines supervenire aspiciunt, submersi in flumine non apparent. (21) Homines agrestes etiam sunt ibi, magni valde et pilosi sicut porci et velut fere mugientes. (22) Quedam etiam speciosissime mulieres sunt ibi in flumine habitantes, sed hoc pulchritudinis vitium habent, quod dentibus carent humanis,
40 sed caninis horrescunt. Ceterum vero albe sunt sicut nix. (23) Homines Pigmei habitant in quibusdam montibus Indie, duorum cubitorum, quibus bellum est contra grues. Qui tertio anno pariunt, octavo senescunt. (24) Homines fuerunt antiquitus, ut legitur, visi, qui caudas habebant, alii vero qui cornua. Aliquos etiam vidimus velut canes latratus emittentes. (25) In quadam regione,
45 ut dicit Iacobus, cum bufonibus nascuntur pueri. Si quis autem sine bufone nascatur, mater eius tanquam adultera iudicatur et, que ab alienigena conceperit, a marito suo repudiatur. (26) In quibusdam regionibus et maxime in extremis Burgundie partibus circa Alpes quedam sunt mulieres, guttur magnum usque ad ventrem protensum tanquam amphoram seu cucurbitam amplum habentes.
50 (27) Homines etiam quidam sunt tantas in dorso strumas habentes, quod quicquid in augmentum corporum cedere debet, gibbus absorbet. Et propter hoc parvi velut nani sunt. (28) Ex mutis et surdis muti et surdi infantes procreantur; ex leprosis leprosi plerumque nascuntur. Non tamen ex cecis ceci vel ex

mutilatis mutilati vel ex monoculis monoculi. (29) Homines quidam silvestres
 55 in partibus orientis capti sunt in silvis, qui postquam inter homines veniebant,
 manducare renuentes moriebantur vel evadebant. (30) Homines etiam her-
 mofrodite in Francia visi sunt, masculini sexus et feminini. (31) Comani carnes
 crudas comedunt et sanguinem equorum bibunt.

(32) Hominum genus quoddam in silva est, ubi Ethne montis incendium
 60 legitur, qui unum oculum sub asperissima fronte ad clipei latitudinem habent
 et dicuntur Cyclopides. Et hii tante sunt altitudinis, ut procerrimarum
 arborum longitudinem excedant. Et hii sanguine vescuntur. Visum est, ut
 legitur, quod unus eorum in antro suo resupinus iacens una manu duos
 viros tenens crudos manducavit. (33) In occiduis partibus puella reperta
 65 est, quam unde fluviorum gurgites ab oceano terris advexerant ignoratur,
 vulneratam in capite atque mortuam. Que erat quinquaginta cubitorum
 longitudinis, et inter humeros quatuor latitudinis habuit, purpurea induta
 clamide. (34) Herculis magnitudinem miratur mundus, miratur et arma
 eius. Qui post devictum mundum bellis ac sanguine erexit in signum victoriae
 70 columpnas mire magnitudinis in occiduis Tyrreni maris; ac post omnia mori-
 turum se videns, flammis se tradidit comburendum. (35) Homines quidam
 sunt orientis statura mediocri, et eorum oculi lucent ut lucerne. (36) Homi-
 num genus formosum valde in oriente est iuxta oceanum; et hec causa,
 quia crudam carnem et mel optimum comedunt. (37) Homines preterea sunt
 75 in insula Brixantis fluvii, qui absque capitibus nascuntur, quos epiphagos ap-
 pellant Greci, octo pedum altitudinis; et tota in pectore officia capitis gerunt,
 nisi quod oculos in humeris habent. (38) Homines quidam in Brixanti fluvio
 habitant, corpora miri candoris habentes, altitudinis duodecim pedum, facie
 bipertita et naso longo et corpore macilento. (39) Molosus homo fuit mon-
 80 struosus, quem occisum Tyberis fluvius cooperire non potuit, et mare per multa
 spatia rubro sanguine infecit, ut dicit Adelinus. Huius templum et statua Rome
 facta est, que a nomine eius colosus dicitur.

(40) Secundum quod Lucanus et multi alii testantur, constat in
 85 Theutonia gigantes plurimos extitisse, ita quod a Theutano gi-
 gante maximo nomen Theutonia sortiretur; unde Lucanus:
 Placabant sanguine Theutani. Huius sepulchrum iuxta Danubium
 fluvium in villa, que dicitur Sancti Stephani, ad duo miliaria prope
 Viennam in Austria nonnulli esse dixerunt, quod in longitudine
 90 nonaginta quinque cubitos continet; et in eo ossa posse videri,
 que omnem ammirationem humanam excedant. Testam vero
 capitis tante amplitudinis esse constat, ut aliquis manu duos gla-
 dios cum capulis apprehendens eos vertat in capite, nec tamen
 attingat teste parietes. Dentes vero habent plus quam latitudinem
 palme. Hec tibi Vienna civitas Austrie vicinitate certa testabitur.

EXPLICIT LIBER DE MONSTRUOSIS HOMINIBUS